HISTORIA
TRANSSVBSTANTIATIONIS PONTIFICIAE

QVAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO
GVILIELMO HENRICO
DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE ET WESTPHALIAE COMITE SAYNAE
ET WITTGENSTEINII RELIQVA

PRAESIDE

IOANNE GEORGIO WALCHIO
THEOL. D. AC PROF. ORD. SERENISSIMOR. DVCIS SAXO-ISENAC. ET MARGGRAVII BRANDENBVRG. ONOLDIN. A CONSILIIS ECCLESIASTIC. ET CONSISTOR. CIVIVM IN HAC ACADEMIA ISENACENSIVM ET ONOLDINORVM INSPECTORE

PATRONO PRAECEPTORE ET HOSPITE SVO AETERNVM PIE COLENDO

D. XI. OCTOBR. A. O. R. MDCCXXXVIII.

DEFENDET

ERNEST. THEOPHIL. ZIEGENBALG
TRANQVEBAR. INDVS
THEOL. STVD.

IENAE LITTERIS RITTERIANIS.

BIBLIOTECA NAZIONALE NAPOLI

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO

HEROI

IOANNI LVDOVICO DE HOLSTEIN

ORDINIS DANNEBROGICI EQVITI AVRATO

POTENTISSIMI REGIS DANIAE ET NORVEGIAE CONSILIARIO INTIMO

SVPREMO CANCELLARIAE DANIAE ET NORVEGIAE DIRECTORI

PRAESIDI COLLEGII DE CVRSV EVANGELII PROMOVENDO

NEC NON

COLLEGII INSPECTIONIS ECCLESIASTICAE ETC. ETC.

PATRONO ET EVERGETAE SVO AETERNVM COLENDO

Digitized by Google

CVM

INTIMO OMNIGENAE PROSPERITATIS VOTO

IN

SALVTIFERVM OPTIMAE PATRIAE COMMODVM

ECCLESIAE VERIQVE CVLTVS DIVINI

PROMOTIONEM

SVI VERO SVORVMQVE STVDIORVM

TVTELAM

HANC DISSERTATIONEM SACRAM ESSE

VOLVIT

ERNESTVS THEOPHILVS ZIEGENBALG.

Digitized by Google

GRAVISSIMI ſane ſunt errores, quos romano pontifici addicti in doctrina de ſacra cœna amplectuntur ac defendunt; pro illis autem peruerſam atque ab inſtitutione diuina plane alienam rationem, ſacramentum hoc adminiſtrandi, adhibent. Satis enim notum eſt, quod ſtatuant, ſacram cœnam eſſe ſacrificium vere ac proprie dictum, idque propitiatorium pro peccatis viuentium ac mortuorum: quod pro hac ſententia inſtituant non ſolum miſſas publicas; verum etiam priuatas ac ſolitarias, *in quibus ſolus ſacerdos ſacramentaliter communicat*, vti illas concilium Tridentinum * definit, atque ex harum celebratione ad abſentes viuos et mortuos commodum redundare, exiſtiment: quod iis, qui ſacra cœna vtuntur, non vtrumque ſymbolum panis et vini exhibeant; ſed laicis et clericis non conficientibus calicem ſubtrahant ac ſoli ſacerdoti conficienti relinquant: quod porro transſubſtantiationem et per hanc adorationem ſymbolorum admittant ac proceſſiones inſtituant, in quibus panem conſecratum ſub nomine corporis chriſti circumgeſtant. Omnia hæc romanen-

* *ſeſſ.* XXII. *can.* 8. adde ROBERTVM BELLARMINVM *de miſſa, lib.* II. *cap.* 8.

Digitized by Google

manenſium erronea dogmata et inſtituta ita ſunt comparata, vt nunc ſacræ ſcripturæ; nunc autem ſimul ſanæ rationi atque ipſis ſenſibus repugnent: nullum in antiquitate eccleſiaſtica habeant præſidium; ſed poſtea ſenſim in eccleſiam introducta, confirmata, ſtabilita atque ad vtilitatem eccleſiæ romanæ promouendam adcommodata ſint. Ita nouitatem papiſmi ac per conſequens vanitatem illius et falſitatem luculenter monſtrant, quod vt ſpeciatim in doctrina de transſubſtantiatione clarum atque euidens fiat, hiſtoriam illius breuiter enarrare atque oſtendere, quomodo grauiſſimus error hic ortus ac ſenſim propagatus fuerit, ac quam nunc habeat, formam receperit, nobiscum conſtitutum eſt.

§. II.

Quid pontificiorum ſit transſubſtantiatio, haud obſcure ex decretis concilii Tridentini * patet. Ibi enim de ea ita ſancitum fuit: *ſi quis dixerit, in ſacroſancto euchariſtiæ ſacramento remanere ſubſtantiam panis et vini, vna cum corpore et ſanguine domini noſtri ieſu chriſti, negaueritque mirabilem illam et ſingularem conuerſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus et totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem, manentibus duntaxat ſpeciebus panis et vini, quam quidem conuerſionem catholica eccleſia aptiſſime transſubſtantiationem appellat, anathema ſit*; item: *ſi quis dixerit, peracta conſecratione, in admirabili euchariſtiæ ſacramento non eſſe corpus et ſanguinem domini noſtri ieſu chriſti; ſed tantum in vſu, dum ſumitur; non autem ante; vel poſt: et in hoſtiis; ſeu particulis conſecratis, quæ poſt communionem reſeruantur; vel ſuperſunt, non remanere verum corpus domini, anathema ſit.* Commentum hoc omnibus veritatem cognoſcendi principiis aduerſatur,

* *ſeſſ.* XIII. *can.* 2. et 4.

ſatur: et ſenſibus, quibus in euchariſtia etiam poſt conſecrationem adhuc verum panem et verum vinum adeſſe, clare percipimus: * et ſanæ rationi, quæ neutiquam capere poteſt, quomodo accidentia, quemadmodum romanenſes docent atque aliis perſuadere volunt, ſine ſubiecto; ſiue ſubſtantia quadam, in qua inhærere debent, ſubſiſtant: et ſacræ ſcripturæ. Paullus enim panem conſecratum expreſſe appellat *panem*, 1 *Cor.* XI, 26. 27. 28. dicitque, calicem benedictionis eſſe κοινωνίαν ſanguinis ieſu chriſti ac panem eſſe κοινωνίαν corporis chriſti, 1 *Cor.* X, 16. quanam autem ratione κοινωνία hæc locum haberet, ſi ex mente pontificiorum talis conuerſio panis et vini fieret, vt ſubſtantia eorum tolleretur? Ipſe chriſtus id, quod in calice diſcipulis bibendum exhibuit, poſt conſecrationem factam appellauit γέννημα τῆς ἀμπέλου, *fructum vitis*, id eſt *vinum*, *Matth.* XXVI, 29. *Marc.* XIV, 25.

§. III.

Vti ſcriptura ſacra transſubſtantiationi repugnat; ita idem de antiquioris eccleſiæ doctoribus dicendum eſt. Plane illam ignorarunt atque ab ea alieni fuerunt, quum doceant, euchariſtiam ex duabus rebus, terrena et cæleſti, conſtare. Sufficiat, quædam tantum illorum teſtimonia memoraſſe. IRENAEVS ** diſerte dicit: εὐχαριστία ἐκ δύο πραγμάτων συνεστηκυῖα, ἐπιγείου τε καὶ οὐρανίου, *euchariſtia ex duabus rebus conſtans, terrena et cæleſti*, ac luculenter ſignificat, præter corpus ac ſanguinem ieſu chriſti, in euchariſtia adeſſe ſubſtantiam panis et vini; nec mutari in corpus et ſanguinem chriſti. Romanenſes, quum videant, verba

 hæc

* vid. IO. LA PLACETTE in *traité de l'autorité des ſens contre la transſubſtantiation*, Amſtelod. MDCC.

** *lib.* IV. *cap.* 34. p. 327.

hæc tranſſubſtantiationi repugnare, in eo operam collocant, vt iſta cum doctrina ſua concilient. Nonnulli, atque in his NICOLAVS LE NOVRRT, * per *rem terrenam* tantum accidentia panis et vini intelligunt; aliena autem eſt interpretatio hæc a mente IRENAEI. Quum enim diſputat aduerſus hæreticos, qui reſurrectionem carnis in dubium vocabant, ſumit argumentum ab euchariſtia; quod autem nihil valeret, niſi panis et vini ſubſtantiam vna cum accidentibus in euchariſtia remanere, ipſe cum hæreticis crediſſet, quod pluribus IO. ERNESTVS GRABIVS ** oſtendit. RENATVS MASSVETVS *** putat, illam *rem terrenam*, ex qua IRENAEVS euchariſtiam conſtare, dixit, eſſe corpus ac ſanguinem domini, quæ res terrena ab eo vocentur, vt hæreticos confutet, chriſtum quidquam ſibi terreni corporis adſciuiſſe, negantes, ac quia ex terreno pane ac vino in chriſti corporis et ſanguinis ſubſtantiam vere conuerſis et transmutatis, fiat verum domini corpus et verus ſanguis; *rem* autem *cæleſtem* non aliam eſſe; quam verbum diuinum, filium patris vnigenitum, cuius paullo ante facta ſit mentio. Sed MASSVETVM verbis IRENAEI vim inferre et a vera illius ſententia diſcedere, celeberrimi viri CHRISTOPHORVS MATTH. PFAFFIVS, * IO. FRANCISCVS BVDDEVS ** et SALOM. DETLINGIVS *** oſtendunt.

* in *adparat. ad bibliothec. maxim. vet. patrum, tom. I. lib. II. diſſ.* 6. p. 601. ſq. add. ROBERTVM BELLARMINVM *de euchariſtia lib.* II. *cap.* 6. p. 573.

** *not. ad Irenæum* p. 327.

*** in *diſſertationib. præuiis in Irenæum diſſ.* III. *art.* 7. § 84. p. 143. et in *notis ad librum* IV. *cap.* 18. p. 251.

* *not. ad Irenæi fragment. anecdot.* p. 80. ſq.

** *inſtitutionib. theol. dogm. lib.* V. *cap.* I. §. 23. p. 1583.

*** in *Irenæo euangelicæ veritatis confeſſor. et teſt.* quæ diſſertatio

dunt. IRENAEO addimus AVGVSTINVM, qui itidem ſacramentum euchariſtiæ ex duabus rebus, viſibili et inuiſibili, conſtare, adſerit. Luculentum eſt illius teſtimonium, quod *ex libro ſententiarum* PROSPERI GRATIANVS * hunc in modum refert: *hoc eſt, quod dicimus: hoc modis omnibus adprobare contendimus, ſacrificium ſcilicet eccleſiæ duobus confici: duobus conſtare: viſibili elementorum ſpecie, inuiſibili domini noſtri ieſu chriſti carne et ſanguine, ſacramento et re ſacramenti, id eſt, corpore chriſti, ſicut chriſti perſona conſtat et conficitur e deo et homine, quum ipſe chriſtus ſit verus deus et verus homo, quia omnis res illarum rerum naturam et veritatem in ſe continet, ex quibus conficitur.* Inprimis CHRYSOSTOMVS veritatis huius teſtis eſt illuſtris ac de ſacra cœna ea tradit, quæ pontificiorum transſubſtantiationi aperte aduerſantur; noſtram autem doctrinam grauiter confirmant. Verba eius hæc ſunt: *ſicut enim antequam ſanctificetur panis, panem nominamus; diuina autem illum ſanctificante gratia, mediante ſacerdote, liberatus eſt quidem adpellatione panis; dignus autem habitus eſt domini corporis adpellatione, etiamſi natura panis in ipſo permanſit, et non duo corpora; ſed vnum corpus filii prædicatur,* ** in

ſertatio in eiusdem *obſeruationibus miſcellan.* p. 2. ſqq. extat, §. XXXIX.

* *decret. part.* III. *de conſecrat. diſt.* II. *cap.* 48. p. 459.

** in *epiſtola ad Cæſarium monachum*, in qua contra hæreſin Apollinaris diſputat. Quæ illius fuerint fata ac quales de ea exortæ ſint contentiones, eruditiſſimi viri paſſim enarrant. Legendi ſunt hanc in rem CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVS in *diſſertat. anti-Rogerian.* p. 17. ſqq. GVIL. ERNESTVS TENZELIVS in *exercitationibus ſelect. part.* II. p. 348. ſq. SALOM. DEYLINGIVS in *diſſert. de nouitate errorum pontificiorum in articulo de*

in quibus diſerte adſerit, poſt ſanctificationem; ſiue conſecrationem in ipſo pane naturam panis permanere. Eadem habet THEODORETVS, qui ad argumentationem ab Eutychiano quodam eum in finem inſtitutam, vt probaret, humanam chriſti naturam poſt vnionem in

de ſacra eucharistia p. 361. ſq. einsd. *obſeruation. miſcellan.* IO. FRANCISCVS BVDDEVS in *inſtitution. theol. dogm. lib.* V. *cap.* I. §. 23. p. 1587. et in *iſagoge ad theol. vniuerſ. lib.* II. *cap.* 7. p. 1057. IO. ERHARDVS KAPPIVS in *diſſert. de Ioannis Chryſoſtomi ad Cæſarium monachum epiſtola, veritatis euangelicæ contra pontific. transſubſtantiationem inſigni teſte*: IO. PETRVS KOHLIVS in *introduction. in hiſtor. et rem litterar. Slauorum* p. 368. ſqq. Pontificii omni ſtudio id egerunt, vt auctoritatem epiſtolæ huius labefactarent; aut teſtimonium illius peruerterent; hac autem ratione deſperatæ ſuæ cauſſæ conſulerent. Nonnulli negant, CHRYSOSTOMVM epiſtolæ huius auctorem eſſe, quo ſpectant NATALIS ALEXANDER *hiſtor. eccleſ. nou. teſtam. ſec.* XI. et XII. *diſſert.* 12. *art.* 15. p. 925. ſq. RICHARDVS SIMONIVS in *lettres choiſies*, *epiſt.* IX. p. 86. MICHAEL LE QVIEN in *diſſert. Damaſcen.* III. p. 48. SCIPIO MAFFEVS in *epiſtola ad* IAC. BASNAGIVM, quæ extat in *theſauro monumentor. eccleſiaſtic. et hiſtoricor.* ſiue CANISII *lection. antiqu.* a BASNAGIO edit. *tom.* I. p. 229. Sed vt hi, qui epiſtolam hanc ſine cauſſa CHRYSOSTOMI nomen præ ſe ferre, exiſtimant, ipſimet fateri debent, repugnare illam doctrinæ de transſubſtantiatione; ita Chryſoſtomum non auctorem illius eſſe, dicunt quidem; minus autem probant. Alii per falſam interpretationem verborum CHRYSOSTOMI ſibi volunt conſulere. Quando enim dicit, *naturam panis permanere*, IO. HARDVINVS exponit *naturam panis* de panis accidentibus: vide *opera* eius *ſelecta* p. 239. ſqq. At quis non videat, heic *panis naturam* nihil aliud ſignificare; quam panis ſubſtantiam?

in diuinam naturam conuerſam eſſe: *quemadmodum ſymbola in ſacra euchariſtia per preces ac conſecrationem ſacerdotis mutantur et alia fiunt; ſic chriſti corpus poſt adſumtionem in diuinam ſubſtantiam mutatum eſt*, ita reſpondet: *nec ſymbola myſtica poſt ſanctificationem recedunt a ſua natura. Manent enim in priore ſubſtantia, et figura et forma et videri tangique poſſunt; ſicut et prius;** quæ verba latine tantum recenſere, liceat. Accedat EPHREMVS *Syrus*, qui, quum diſſerat de ſacra cœna, inter alia dicit: *ignis non habet vnam naturam; ſed duplicem: ligno enim conſtat et flamma. Non aliter ſacer*** *panis: non vna panea natura conſtat; ſed et diuina*, hisque verbis itidem pontificiorum transſubſtantiationem inpugnat ac ſignificat, in euchariſtia panem conſecratum omnino eſſe verum panem: adeſſe eius ſubſtantiam, licet cum corpore chriſti ſit vnitus. Quæ teſtimonia, nunc a nobis memorata, quamuis ſatis probent, a veteribus eccleſiæ doctoribus dogma de transſubſtantiatione ignoratum fuiſſe; vnicum tamen ſane illuſtre adiiciamus. Exhibet id GELASIVS papa romanus, ac veritatem contra pontificios ita profitetur: *certe ſacramenta, quæ ſumimus, corporis et ſanguinis domini, diuina res eſt, propter quod et per eadem diuinæ efficimur conſortes naturæ; et tamen eſſe non deſinit ſubſtantia; vel natura panis et vini.****

§. IV. Equi-

* *dialog.* II. *tom.* IV. *oper.* p. 85.

** in *ſermon.* I. *de ſacra coena*, quem vna cum alio de eodem argumento laudatus IO. PETRVS KOHLIVS primus in lucem edidit atque *introduct. in hiſtoriam et rem litterariam Slauorum* p. 367. adiecit: adde eiusdem *obſeruat. ad h. l.* p. 402.

*** *libr. de duabus naturis in chriſto aduerſus Eutychen et Neſtorium*, qui extat in *maxim. bibliotb. veter. patrum, tom.* VIII. p. 699. ſqq.

§. IV.

Equidem haud negamus, antiquioris eccleſiæ doctores, quando verba faciunt de ſacra cœna, mutationis cuiusdam, quæ pani et vino eueniat, facere mentionem atque vſurpare voces μεταβολὴ, μεταμόρφωσις, μεταποίησις aliasque huius generis, id quod ex IVSTINO *martyre*, CYRILLO *Hieroſolymitano*, GREGORIO *Nyſſeno* atque aliis patet; ſed neutiquam talem intelligunt mutationem, qualem defendunt pontificii. Alia eſt mutatio, quæ ad ipſam ſubſtantiam; alia quæ ad accidentia rei cuiusdam ſpectat. Hæc in ſacra cœna duplici modo fit: primum per ſeparationem, quum panis et vinum a communi et vulgari vſu ſeparantur atque ad vſum ſacrum deſtinantur: deinde per ipſam vnionem, quando panis cum corpore ac vinum cum ſanguine ieſu chriſti vnitur, quo fit mutatio quædam; non ſubſtantialis tamen, quoniam ſubſtantia panis et vini manet; ſed accidentalis, ita vt panis non amplius ſit merus panis: vinum non merum vinum; ſed nunc ſit panis cum chriſti corpore: vinum cum eiusdem ſanguine vnitum. Atqui hæc eſt mutatio, quam veteris eccleſiæ patres intellexerunt. Quis

p. 699. ſqq. Propter clariſſimum, quod in eo legitur, teſtimonium contra transſubſtantiationem GREGORIVS DE VALENTIA, BARONIVS, BELLARMINVS atque alii ſcriptores pontificii opus hoc GELASIO papæ abiudicare conantur, idque nunc GELASIO *Cyziceno*: nunc GELASIO *Cæſarienſi* adtribuunt; faciunt autem id fruſtra ac ſine cauſſa. Res tam clara eſt, vt & inter ipſos romano pontifici addictos PHILIPPVS LABBEVS *diſſert. de ſcriptoribus eccleſiaſtic. tom.* I. p. 342. GELASIVM libri huius auctorem eſſe, fateatur ac rationes varias, cur ita ſit ſentiendum, recenſeat.

Digitized by Google

Quis enim ſibi perſuadeat, eos ſignificaſſe mutationem quandam ſubſtantialem? Ex iis, quæ a nobis obſeruata ſunt, luculenter videndum eſt, in vetere eccleſia mutationem eiusmodi fuiſſe incognitam. Voces, quas græci patres vſurparunt, nihil valent ad transſubſtantiationem ſtabiliendam, quoniam etiam a profanis et ſacris ſcriptoribus ita adhibentur, vt tantum mutationem ſignificent, quæ ad rei accidentia ſpectat. Patet id de vocabulo μεταβολή. Dionyſio AELIANVS* tribuit ποικίλας βίυ μεταβολὰς, id eſt, *multas variasque vitæ viciſſitudines*, quas Corinthi expertus eſt, et alibi ** refert, quod Dion, diſcipulus Platonis, audita filii a tecto delapſi morte, ὐδὲν ἐπὶ τύτοις μετεβάλετο, *his haud perturbatus fuerit*. Inter ſcriptores eccleſiaſticos GREGORIVS *Nyſſenus* *** per μεταβολὴν et μεταποίησιν intelligit regenerationem; quis autem exiſtimet, in regeneratione fieri mutationem ſubſtantialem? Quum Melitenſes viderent, quod vipera apoſtolo Paullo nihil incommodi adtulerit, dicitur de illis: μεταβαλλόμενοι ἔλεγον, θεὸν αὐτὸν εἶναι, id eſt, *mutata ſententia, dixerunt, deum eum eſſe, actor* XXVIII, 6. Idem dicendum eſt de vocabulo μεταμόρφωσις, itidem a græcis patribus nonnunquam de ſacra cœna vſurpato, quod non ſubſtantiæ; ſed accidentium tantum conuerſionem indicet. Exempla in libris noui fœderis occurrunt, quando de chriſto dicitur: μετεμορφώθη ἔμπροσθεν αὐτῶν, *Matth.* XVII, 2. *Marc.* IX, 2. adde *rom.* XII, 2. id quod et de voce μεταστοιχείωσις probat IO.

B CASP.

* *lib.* IX. *cap.* 8.

** *lib.* III. *cap.* 4. adde quæ IAC. PERIZONIVS *ad h. l.* obſeruat, p. 176.

*** *orat. catechetic. cap.* XL. *tom.* II. *oper.* p. 540. conf. IO. CASPAR. SVICERVM in *theſauro eccleſiaſt. tom.* II. p. 348.

CASP. SVICERVS.* Igitur nihil in antiquitatis eccleſiaſticæ monimentis extat, quod pontificiæ transſubſtantiationi faueat, vt pluribus monſtrarunt ex reformatis IO. FORBESIVS,** EDMVNDVS ALBERTINVS,*** IO. COSINVS,* IACOBVS BASNAGIVS:** ex Arminianis ADRIAN. A CATTENBVRGH; *** ex noſtris autem theologis IO. FRANCISCVS BVDDEVS* et SALOM. DETLINGIVS.**

§. V.

Sed quum poſtea a priſtina ſimplicitate deſcitum ac ſuperſtitioni locus datus fuerit, ſenſim varii errores ſunt prognati, qui veram de ſacra cœna doctrinam deprauarunt. Ad illos præcipue pertinet commentum de transſubſtantiatione, cuius originem ac fata ſi accurate cognoſcere velimus, omnia huc ſpectantia momenta diſtincte ſunt expendenda, ita vt occaſionem grauiſſimi erroris huius ab ipſo illius ortu ac progreſſu: rem ipſam ab eius vocabulo, ac doctrinam in ſe ſpectatam ab eiusdem publica auctoritate in eccleſia romana diſtinguamus. Quodſi de occaſione quæras, illam

* in *theſaur. eccleſ.* tom II. p. 362. adde IO. MICHAEL. HEINECCIVM in *der Abbildung der alten vnd neuen griechiſchen Kirche, part.* II. *cap.* 6. §. 26. p. 224 et §. 53. p. 278.

** *instruction. hiſtorico-theol. lib.* XI. *cap.* 9. ſqq. p. 561.

*** *de eucharistia, libr.* I. *cap.* 16. ſqq. p. 101. *lib.* III. p. 903.

* in *hiſtor. transſubſtantiationis papalis*, quæ Londin. MDCLXXV. prodiit.

** in *hiſtoire de l'egliſe, lib.* XIII. *cap.* 5. p. 800. *lib.* XIV. *cap.* 4. §. 7. p. 829.

*** *ſpicileg. theolog. chriſtian. Limborch*, p. 1080. ſq.

* *inſtitutionib. theol. dogmat. lib.* V. *cap.* 1. §. 22. p. 1549. et §. 23. p. 1591. ſqq.

** *de error. pontific. nouitat. in artic. de ſacra eucharistia*, p. 350. ſqq. eiusd. *obſeruation. miſcellan.*

illam in ea hominum corruptione deprehendimus, qua externis euchariſtiæ ſymbolis plus; quam decet, tribuerunt, eaque ſingulari veneratione proſequi, ſimulque de conſecratione, quæ in ſacra cœna fit, atque illius effectu minus recte ſentire, cœperunt. Hinc ſenſim in eam inducti ſunt opinionem, panem et vinum conſecratum etiam extra euchariſtiæ vſum eſſe verum corpus ac verum ſanguinem ieſu chriſti, quoniam putabant, per conſecrationem fieri, vt cum pane corpus et cum vino ſanguis chriſti vniatur, hancque ob cauſſam ſymbola illa externa in nimio habebant honore. Quum porro de modo cogitarent, quo ſymbola conſecrata etiam extra vſum ſint corpus ac ſanguis ſeruatoris, falſa hæc perſuaſio aliam eamque de transſubſtantiatione facile gignere; aut viam ad iſtam parare potuit, ita vt exiſtimarent, ipſa ſymbola in corpus ac ſanguinem chriſti eſſe mutata. Ea omnino quoque ſeculo IX erupit. Primus, qui transſubſtantiationem tradidit ac defendit, eſt PASCHASIVS RADBERTVS, primum monachus: poſtea abbas Corbeienſis in Gallia, qui librum *de ſacramento corporis ac ſanguinis domini noſtri ieſu chriſti* * compoſuit, atque in eo adſeruit, poſt conſecrationem *ſubſtantiam panis et vini mutari in veram carnem chriſti et verum ſanguinem;* nec in carnem aliam, *quam quæ nata ſit de Maria*

 et

* liber hic ſeparatim Coloniæ, Helmſtadii, Pariſiis prodiit. Extat quoque in PASCHASII *operibus*, editis a IACOBO SIRMONDO, Pariſ. MDCXVIII. et in *bibliothec. maxim. veter. patrum, tom.* XIV. p. 720. ſqq. Sunt quidem codices manuſcripti, qui illum RABANO MAVRO tribuunt; alii tamen iique admodum antiqui PASCHASII nomen præ ſe habent: vid. GVIL. CAVEVM in *hiſtoria litterar. ſcriptor. eccleſ.* p. 453.

et paſſa in cruce et reſurrexit de ſepulcro: item ex ſubſtantia panis et vini carnem et ſanguinem christi, corpus idem, quod ex virgine, *conſecratione ſpiritus ſancti potentialiter creari, effici, vere, in veritate,* quamuis *figura eſſe videatur, in ſpecie viſibili, in eo, quod frangitur, videtur, ſentitur.* Ita haud obſcure transſubſtantiationem docuit, idque primus fecit, quod et pontificii ſcriptores paſſim fatentur. IAC. SIRMONDVS * dicit: *genuinum eccleſiæ catholicæ ſenſum,* de euchariſtia, *ita primus explicuit, vt viam ceteris aperuerit, qui de eodem argumento multa poſtea ſcripſerunt.* Sed tamen ea ætate non defuerunt, qui ei ſe opponerent, quamuis, vt fieri ſolet, ad alterum venirent extremum ac præſentiam realem corporis ac ſanguinis christi in ſacra cœna negarent, ſaltem negare viderentur. Huc ſpectant RABANVS MAVRVS, ** AMALARIVS, *** RA-

* in *vita Paſchaſii*, eiusdem *operibus* præmiſſa.

** *epiſtol. ad Egilonem abbatem,* cuius ipſe meminit *poenitential. cap.* XXXIII. hunc in modum: *quidam nuper de ipſo ſacramento corporis et ſanguinis domini non rite ſentientes, dixerunt, hoc ipſum corpus ac ſanguinem, quod de Maria virgine natum eſt,* cetera, *cui errori, quantum potuimus, ad Egilonem abbatem ſcribentes, de corpore ipſo quid vere credendum ſit, aperuimus:* adde EDMVNDVM ALBERTINVM *de euchariſtia, lib.* III. p. 924.

*** extant illius *de diuinis; ſiue eccleſiaſticis officiis libri* IV. ac *de ordine antiphonarii liber.* Qualis ipſi fuerit ſententia de ſacra cœna, eruditiſſimi viri diſputant. IACOBVS VSSERIVS in *hiſt. Gotteſch. cap.* VIII. p. 133. ſqq. tribuit ei dogma transſubſtantiationis; alii autem, atque in his EDM. ALBERTINVS *de euchariſt. lib.* III. p. 925. probare adnituntur, eum in ſacra cœna nihil, præter figuram corporis christi, admiſiſſe.

Digitized by Google

RATRAMNVS, * quem nonnulli BERTRAMVM appellant,

* ſcripſit librum *de corpore ac ſanguine domini*, cuius variæ extant editiones. Quum in eo transſubſtantiationem penitus euertat, pontificii id omni ſtudio agunt, vt cauſſam ſuam aduerſus hunc teſtem tueantur, licet et ipſimet inter ſe diſſentiant. Nonnulli non RATRAMNVM; ſed IO. SCOTVM ERIGENAM libri memorati auctorem eſſe, contendunt, PETRVS quippe DE MARCA, in *epiſtola ad Lucam Dacherium*, *tom.* III. *ſpicileg.* p. 852. IO. HARDVINVS in *diſſert. de ſacramento altaris*, quæ extat in eiusdem *operibus ſelectis* p. 243. ſqq. quod ſi et verum eſſet; parum ſane id cauſſæ pontificiorum prodeſſet, quoniam RATRAMNVS et IO. SCOTVS ERIGENA eadem ætate atque eruditione floruerunt. Sed librum hunc IO. SCOTO vindicari non poſſe, ex ſtili diuerſitate atque aliis argumentis inter ipſos romanenſes eruditi viri monſtrarunt, ac ne viderentur, cauſſam transſubſtantiationis deſerere, RATRAMNVM mutationi ſubſtantiali fauere: ſaltem non repugnare, aliis perſuadere voluerunt. Quo ſpectant IO. MABILLONIVS *tom.* III. *annal. Benedictinor. lib.* XXXV. §. 40. p. 68. et *præfat. in part.* II. *ſecul. Benedict.* IV. §. 6. p. 44. NATALIS ALEXANDER *hiſt. eccleſ. ſecul.* IX. et X. *diſſert.* 13. §. 1. p. 354. inprimis IACOB. BOILEAV, qui cum in *apologia Ratramni*; tum in *præfatione* ac *notis* RATRAMNI libro, quem Pariſ. MDCCXII. edidit, additis, contra HARDVINVM diſputat et probare inſtituit, Ratramnum a transſubſtantiationis dogmate non fuiſſe alienum. Ita inter ipſos pontificios de auctore eiusque teſtimonio lis exorta eſt, de qua plura enarrant auctores *act. erudit.* ann. MDCLXXXVII. p. 43. THOM. ITTIGIVS *de bibliothecis et catenis patrum* p. 167. CHRIST. MATTH. PFAFFIVS in *diſſertat. anti-Rogerian.* p. 27. et in *inſtitut. hiſtor. eccleſ.* p. 379. ſq. SALOM. DEYLINGIVS in *obſeruation. miſcellan.* p. 373. ſq.

Digitized by Google

pellant, IO. SCOTVS ERIGENA* atque alii, qui omnes commentum transſubſtantiationis impugnarunt.**

§. VI.

Seculo X. ODO, Cantuarienſium archiepiſcopus mutationis ſubſtantialis in ſacra cœna defenſor exſtitit, ac quum iſtam ex ſcriptura ſacra haud probare poſſet, fraudes ac conficta miracula adhibuit, hisque eam ſtabilire atque aliis perſuadere voluit. IO. MABILLONIVS*** ex vita huius Odonis, a peruetuſto auctore compoſita, refert, eo tempore clericos adfirmaſſe, panem et vinum, quæ in altari ponantur, poſt conſecrationem in priori ſubſtantia permanere, et figuram tantum eſſe corporis et ſanguinis chriſti; non verum chriſti corpus et ſanguinem, ac ſubiungit: *quorum enormem perfidiam beatus Odo deſtruere cupiens, dum quadam die in conſpectu totius populi ſacroſanctis miſſarum ſolemniis deuotus intenderet, expresſis lacrimis dei omnipotentis clementiam in ſuo miniſterio affore, poſtulauit, quæ ad depellendos hominum errores ſubſtantiuam diuinorum myſteriorum declararet proprietatem. Quumque ad confractionem viuifici panis ventum fuiſſet, confeſtim inter manus pontificis, fragmenta corporis chriſti tenentis, ſanguis guttatim defluere cœpit,* quæ et memorat NATALIS ALEXAN-

* itidem librum ſcripſit *de corpore et ſanguine chriſti;* qui tamen interiit. In iſto reiecerat dogma de transſubſtantiatione; ſimul autem realem præſentiam corporis et ſanguinis chriſti negauerat. Damnatus eſt in ſynodo Vercellenſi anno ML vel MLIII. vide BERENGARII *epiſtol. ad Richardum* apud LVCAM DACHERIVM in *ſpicilegio tom.* III. p. 400.

** conf. IAC. BASNAGIVM in *hiſtoire de l'egliſe lib.* XVI. *cap.* 8. et 9. p. 937. ſqq.

*** in *diſquiſition. de confeſſione fidei ſub Alcuini nomine edita,* quæ extat in eiusdem *veterib. analect.* p. 495. ſq.

Digitized by Google

ALEXANDER.* Eadem enarrantur de DVNSTANO, qui in Odonis locum ſucceſſit et itidem ſeculo X vixit. Qui tamen his atque aliis ætatis illius defenſoribus transſubſtantiationis contradicerent, non defuerunt, vt FRIDER. SPANHEMIVS** oſtendit, licet, quod haud negandum eſt, commento huic ita ſe obiicerent, vt ſolam figuram corporis ac ſanguinis chriſti in ſacra cœna admitterent.

§. VII.

Seculo XI. BERENGARIVS, archidiaconus Andegauenſis floruit et quum transſubſtantiationis figmentum impugnaret, itidem ad alterum extremum, quæ eſt ingenii humani imbecillitas, prolapſus eſt. Negare debuiſſet, in ſacra cœna corpus chriſti non eo modo adeſſe, quo romanenſes exiſtimant; at vti ipſi pariter atque aliis difficile fuit, medium tenere; ita prorſus negauit, chriſti corpus ac ſanguinem vllo modo adeſſe.*** Contra eum eodem ſeculo multi ſcripſerunt; ita tamen, vt profligando illius errorem, alterum eumque de transſubſtantiatione inculcarent ac defenderent. Eminent in his ADELMANNVS, Brixienſis,* LAN-

* *hiſtor. eccleſ. nou. teſtam. ſecul.* IX. et X. *diſſ.* 15. p. 368.

** *hiſtor. eccleſ. noui teſtam. ſecul.* X. *num.* 7. *tom.* I. *oper.* p. 1473.

*** ſcriptores, qui ad cauſſam et controuerſiam Berengarianam ſpectant, a CASP. SAGITTARIO in *introduct. in hiſtor. eccleſ.* p. 884. ſqq. IO. ANDR. SCHMIDIO in *Sagittarian. introduct. tom.* II. p. 670. et CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIO in *inſtitut. hiſtor. eccleſ.* p. 472. recenſentur.

* ſcripſit epiſtolam ad Berengarium *de veritate corporis et ſanguinis chriſti in euchariſtia*, quæ cum aliis eiusdem argumenti opuſculis prodiit Louan. MDLI. MDLXI. cura VLIMMERII. Extat quoque in *bibliothecis patrum* eaque *Lugdun. tom.* XVIII. p. 438.

Digitized by Google

LANFRANCVS, Cantuarienſis, * GVITMVNDVS, Auerſanus, ** DEODVINVS, Leodienſis. *** In variis quoque ſynodis Berengarius damnatus fuit, romanis, Vercellenſi, Pariſienſi, Florentina, Turonenſi atque aliis, ac palinodiæ formulis conuerſionem ſubſtantialem profiteri, compulſus. Eiusmodi formulam præſcripſerunt Nicolaus II. pontifex et Humbertus cardinalis in ſynodo romana anno MLIX. ſecundum quam iuſſus eſt, ſententiam ſuam adhuc defenſam, veluti hæreticam damnare et doctrinam de mutatione ſubſtantiali amplecti, hunc in modum: *conſentio ſanctæ romanæ eccleſiæ et apoſtolicæ ſedi, et ore et corde profiteor, de ſacramento dominicæ menſæ eam fidem me tenere, quam dominus et venerabilis papa Nicolaus, et hæc ſancta ſynodus auctoritate euangelica et apoſtolica tenendam tradidit, mihique firmauit: ſcilicet panem et vinum, quæ in altari ponuntur, poſt conſecrationem non ſolum ſacramentum; ſed etiam verum corpus et ſanguinem domini noſtri ieſu chriſti*

* cuius *libellus de corpore ac ſanguine domini in eucharistia contra Berengarium*, non ſolum in *bibliothecis patrum;* verum etiam in eiusdem *operibus*, a LVCA DACHERIO Pariſ. MDCXLVIII. editis locum ſuum habet.

** ſpectant huc eius *libri* III. *de veritate corporis et ſanguinis chriſti in eucharistia*, qui et in collectione VLIMMERII, cuius paullo ante mentionem fecimus, et in *bibliothecis patrum*, ſpeciatim *Lugdun. tom.* XVIII. p. 440. extant.

*** qui ſcripſit *epiſtolam; ſiue libellum, ad Henricum Galliæ regem de corpore et ſanguine chriſti aduerſus Berengarium eiusque ſectatores*, quam mutilam BARONIVS in *annalib.* ad *ann.* MXXXV. IO. CHAPEAVILLVS in *ſcriptoribus epiſcoporum et rerum Leodienſ.* et auctores *maximæ bibliothec. patrum, tom.* XVIII. p. 531. exhibent; integram autem deprehendimus illam in IO. MABILLONII *veter. analect.* p. 446.

Digitized by Google

chriſti eſſe: et ſenſualiter non ſolum ſacramento; ſed in veritate manibus ſacerdotum tractari, frangi et fidelium dentibus atteri. Anno MLXXIX. iterum euocatus eſt romam ad ſynodum ſub Hildebrando; ſiue Gregorio VII. habitam, eique noua palinodiæ formula obtruſa fuit. Verba illius hæc ſunt: *ego Berengarius corde credo et ore confiteor, panem et vinum, quæ ponuntur in altari, per myſterium ſacræ orationis, et verba noſtri redemtoris ſubſtantialiter conuerti in veram et propiam, ac viuificam carnem et ſanguinem ieſu chriſti domini noſtri, et poſt conſecrationem eſſe verum chriſti corpus, quod natum eſt de virgine, et quod pro ſalute mundi oblatum in cruce pependit, et quod ſedet ad dexteram patris: et verum ſanguinem chriſti, qui de latere eius effuſus eſt, non tantum per ſignum et virtutem ſacramenti; ſed in proprietate naturæ, et veritate ſubſtantiæ, ſicut in hoc breui continetur, et ego legi, et vos intelligitis. Sic credo; nec contra hanc fidem vlterius docebo. Sic me deus adiuuet, et hæc ſancta dei euangelia.* *

C §. VIII.

* vide IO. MABILLONIVM in *obſeruationibus de multiplici Berengarii damnatione, fidei profeſſione et relapſu, deque eius poenitentia,* quæ extant in eiusdem *veter. analectis* p. 513. ſqq. et in IO. VOGTI *bibliothec. hiſtor. hæreſiolog. tom.* I. *faſcic.* I. p. 99. ſqq. Idem MABILLONIVS dedit quoque vitam et acta Berengarii in *annalib. Benedict. tom.* V. et in *præfat. ad ſecul.* VI. *Benedict. part.* II. p. 7. adde PETRVM ALLIXIVM in *præfat. hiſtoric. de dogmate transſubſtantiationis*, quam præmiſit *determinationi Ioannis Pariſienſis*, poſtea pluribus enarrandæ, p. 5. ſqq. vbi ex Gregorii VII. opere manuſcripto in Matthæum locum recenſet, in quo dicit: *quod ex auctoritatibus certum eſt, profitemur, ſcilicet ſubſtantiam panis et vini in ſubſtantiam corporis et ſanguinis chriſti conuerti; modum vero conuerſionis ignorare, non erubeſcimus, fateri.*

Digitized by Google

§. VIII.

Seculo XII. floruit RVPERTVS, abbas Tuitienſis, qui panis ſubſtantiam non conuerti; ſed manere docuit; quum autem ex præpoſtero ſtudio, modum præſentiæ et coniunctionis cum pane determinare vellet, incommodam amplexus eſt ſententiam. Exiſtimat enim, a verbo panem adſumi hypoſtatice ac propterea de pane poſſe dici, quod ſit chriſtus et corpus chriſti, quemadmodum propter hypoſtaticam verbi et humanitatis vnionem recte dicatur, quod homo ſit deus et quod humanitas adſumta ſit dei humanitas: immo putat, per vnionem fieri, vt corpus panis cum corpore humano ex virgine adſumto ſit vnum et idem corpus. Sententiæ huius plura deprehendimus teſtimonia in libris, quos poſteritati tradidit. Vnicum memoraſſe, ſufficiat: *operatione ſpiritus ſancti*, inquit, *panis corpus: vinum fit ſanguis chriſti; ſed iſtud non capit humana ſapientia. Totum attribuetis operationi ſpiritus ſancti, cuius effectus non eſt deſtruere; vel corrumpere ſubſtantiam, quamcunque ſuos in vſus aſſumit; ſed ſubſtantiæ bono permanenti, quod erat, inuiſibiliter adiicere, quod non erat. Sicut naturam humanam non deſtruxit, quum illam operatione ſua ex vtero virginis deus verbo in vnitatem perſonæ coniunxit; ſic ſubſtantiam panis et vini, ſecundum exteriorem ſpeciem quinque ſenſibus ſubiectam, non mutat; aut deſtruit, quum eidem verbo in vnitatem corporis eiusdem, quod in cruce pependit, et ſanguinis eiusdem, quem de latere ſuo fudit, iſta coniungit. Quomodo verbum a ſummo demiſſum, caro factum eſt, non mutatum in carnem; ſed aſſumendo carnem; ſic panis et vinum, vtrumque ab imo ſubleuatum, fit corpus chriſti et ſanguis, non mutatum in carnis ſaporem; ſiue in ſanguinis horrorem; ſed aſſumendo inuiſibiliter vtriusque, diuinæ ſcilicet et humanæ, quæ in chriſto eſt, immortalis ſubſtantiæ veritatem. Proinde ſicut hominem, qui de virgine ſumtus in cruce*

Digitized by Google

cruce pependit, recte et catholice deum confitemur; ſic veraciter hoc, quod ſumimus de ſancto altari, chriſtum dicimus, agnum dei prædicamus. * Docuit igitur, in ſacra cœna nullam fieri conuerſionem ſubſtantialem; ſed ſubſtantiam panis et vini manere, hincque a transſubſtantiatione fuit alienus, quod ipſe CAESAR BARONIVS ** fatetur, ac dicit: *in errorem illum impegit incaute, quo aſſeruit, in ſacratisſimo euchariſtiæ ſacramento ita ineſſe vere ipſum integrum corpus et ſanguinem chriſti, vt tamen ſubſtantia ipſa panis et vini etiam integra remaneret. Qui error damnatus eſt in concilio Lateranenſi ſub Innocentio papa quarto.* Quæ licet ſatis ſint clara atque aperta; nihilominus GABRIEL GERBERON *** aliis voluit perſuadere, RVPERTVM hunc eo modo de euchariſtia ſenſiſſe, quem romana eccleſia præſcribit, fieri quippe conuerſionem ſubſtantiæ; nihil aliud autem egit, quam vt verba eius deprauaret, eorumque ſententiis magnam vim inferret.

§. IX.

Eodem ſeculo XII. vocabulum *transſubſtantiationis* ortum eſt. Commentum ipſum iam fuerat excogitatum atque aliis commendatum, vt ex antea dictis patet; nomen autem, quo id adpellatur, nondum erat vſitatum. Seculo memorato cœperunt, id adhibere; a quonam autem illud primum ſit vſurpatum? quæritur. Occurrit id apud PETRVM, Blæſenſem, qui poſt

C 2 medium

* *lib.* II. *in exodum cap.* 10. Alia illius teſtimonia, quæ et in libris eius *de diuinis officiis* leguntur, PETR. ALLIXIVS *cit. præfat.* p. 8. ſqq. et GEORGIVS CALIXTVS in *exercit. de transſubſtantiat. contra pontificios* §. XVII. recenſent.

** in *annalib. ad ann. chriſt.* MCXI. *num.* 49.

*** edidit *apologiam pro Ruperto Tuitienſi*, Pariſ. MDCLXIX. confer IO. MABILLONIVM in *tract. de ſtudiis monaſt.* p. 791.

Digitized by Google

medium ſeculi XII floruit. Scribit hic: *pane et vino transſubſtantiatis virtute verborum cæleſtium in corpus et ſanguinem chriſti, accidentia, quæ prius ibi fuerant, ſine ſubiecto remanent et adparent:* * item: *ſacerdotes corpus domini conficiunt, ſumunt, ſumendum aliis tribuunt. Eorum miniſterio panis et vinum in carnem chriſti transſubſtantiatur.* ** Sed idem vocabulum habet quoque STEPHANVS, Auguſtodunenſis; ſiue Aeduenſis epiſcopus. Dicit enim: *** *quum in cœna dominus panem benedixit: quæritur, ſi benedictione ſua de pane corpus ſuum fecerit. Quod videtur: in eo, quod poſt benedictionem fregit et dedit diſcipulis ſuis, dicens: hoc eſt corpus meum. Niſi in benedictione ſua corpus ſuum fieret, nihil aliud; quam panem communem frangeret, et diſcipulis ſuis daret: item ſi benedictione ſua panem in corpus ſuum conuertit in verbis iſtis: hoc eſt corpus meum, non reliquit nobis virtutem ſacramenti, quia priusquam hæc verba diceret: benedixit, fregit, et dans diſcipulis, prædicta verba protulit: eis dans virtutem ſacramenti, quaſi diceret, panem, quem accepi, in corpus meum transſubſtantiaui: et illud do vobis.* Aetatem illius POSSEVINVS, BELLARMINVS, MIRAEVS atque alii ad ſeculum decimum quidem referunt; alii tamen eum ſeculo XII. ante PETRVM Blæſenſem floruiſſe, rectius tradunt, quam ſententiam vbi admittamus, dicendum eſt, Stephanum illum eſſe primum, qui vocabulo nouo ac barbaro *transſubſtantiationis* vſus fuerit.

§. X.

Seculo XIII. dogma de transſubſtantiatione locum inter articulos fidei ac publicam auctoritatem obtinuit. Anno

* *epiſtol.* CXL.

** *ſermon.* XXXVIII.

*** in *tract. de ſacramento altaris, cap.* XIV. qui in *maxima bibliotheca veter. patrum, tom.* XX. p. 1872. extat.

Anno enim MCCXV. Innocentius tertius romæ ſynodum Lateranenſem celebrauit atque inter alia mutationem ſubſtantialem in ſacra cœna confirmauit, hunc in modum: *chriſti corpus et ſanguis in ſacramento altaris ſub ſpeciebus panis et vini veraciter continentur; transſubſtantiatis pane in corpus et vino in ſanguinem poteſtate diuina;* * vbi tamen obſeruandum eſt, diſputatum fuiſſe: num canones in hoc concilio conditi ſolius Innocentii III. an totius concilii ſint? quod poſterius defendit quidem NATALIS ALEXANDER; ** non defuerunt autem, qui prius adfirmarent. *** Quemadmodum falſa atque inanis perſuaſio de conuerſione ſubſtantiæ, quæ fiat in euchariſtia, materiam aliorum errorum, corruptelarum ac ſuperſtitionum dedit; ita iſtam ſpeciatim conſequuta eſt adoratio ſacramenti. Pontifex Honorius III. anno MCCXX. decretum * fecit ac iuſſit, *quum in celebratione miſſarum eleuetur hoſtia ſalutaris, ſe reuerenter inclinare atque idem facere, quum eam presbyter deferat ad infirmum;* poſtea autem cœperunt quoque, genua flectere ac ſacramentum adorare. ** Quam adorationem excepit feſtum corporis

* apud IO. HARDVINVM *tom.* VII. *concilior.* p. 17.

** in *hiſtor. eccleſ. nou. teſt. ſecul.* XIII. *et* XIV. p. 325. ſqq.

*** vide EDMVND. ALBERTINVM *de euchariſtia lib.* III. p. 972. IO. ANDR. SCHMIDIVM in *Sagittar. introduct. tom.* II. p. 1127. adde MATTH. LARROQVII *hiſtoire de l'euchariſtie part.* II. p. 736.

* extat *libr.* III. *decretal. tit.* XLI. *cap.* 10.

** pluribus hac de re agunt IAC. BASNAGIVS in *hiſtoire de l'egliſe, lib.* XVII. p. 967. MATTH. LARROQVIVS in *hiſtoire de l'euchariſtie, part.* III. p. 848. IO. DALLAEVS *de cultus religioſi obiecto, lib.* II. p. 216. et *de cultibus religioſis latinorum, lib.* VII. p. 815. ſqq.

chriſti, ab Vrbano IV. pontifice anno MCCLXIV. inſtitutum et ſeculo XIV. a Clemente V. confirmatum. *

§. XI.

Aetate hac floruerunt ſcholaſtici doctores, qui ad commentum transſubſtantiationis propagandum ac ſtabiliendum multa contulerunt, quamuis in illis et exſtiterint, qui veritatem profiteri, non dubitarent. Defenſores transſubſtantiationis ipſimet inter ſe diſſentiunt; nec eadem ratione tradunt, quid in illa fiat de ſubſtantia panis. Nonnulli dicunt, ſubſtantiam panis redigi in nihilum, atque annihilationem admittunt. Refert id ROBERTVS HOLKOTH ** atque hunc in modum diſſerit: *quum dicitur, ſubſtantia panis annihilatur, poteſt dici, quod concluſio eſt vera ad bonum intellectum, ſic videlicet intelligendo, quod ſubſtantia panis prius fuit,*

cui ex pontificiis oppoſuit IAC. BOILEAV *libros* II. *de adoratione eucharistiae*, Pariſ. MDCLXXXV. adde ex noſtris theologis SALOM. DEYLINGIVM in *obſeruat. miſcellan.* p. 396. ſqq. et IO. GVILIELM. VON DER LITH in *dem gründlichen Beweiſs, daſs das Niederknien vor denen Hoſtien in der Meſſe denen Gewohnheiten vnd Satzungen der alten Kirche zuwider*, MDCCXX.

* vide IO. DALLAEVM *de cultibus latinorum religioſis lib.* VI. *cap.* 15. p. 801. BALTH. BEBELIVM in *dem Bericht vom Frohnleichnams-Feſt*, MDCLXXXV. aliosque laudatos a IO. ALBERT. FABRICIO in *bibliogr. antiquar.* p. 339.

** fuit ordinis Dominicani monachus et theologiae profeſſor in academia Oxonienſi. Floruit ſub medium ſeculi quarti et decimi ac compoſuit *quaeſtiones in* IV. *libros magiſtri ſententiarum*, quae in lucem prodierunt cum quibusdam aliis eiusdem libris Lugdun. MCCCCXCVII. MDX. MDXVIII. vide IAC. QVETIF et IAC. ECHARDVM in *ſcriptoribus ordinis praedicatorum*, *tom.* I. p. 629.

Digitized by Google

fuit, et modo nec eſt; nec erit; nec aliqua eius pars. Et quando aliqui dicunt, quod non annihilatur; ſed conuertitur in corpus chriſti, dico, quod volunt, quod ad exprimendum congrue et explicite ſacramenti miraculum non ſufficit dicere, quod panis annihilatur, quia ſic nulla mentio ſit de exiſtentia corporis chriſti de nouo in ſacramento: et ideo conuenientius exprimitur miraculum ſacramenti ſub terminis iſtis: panis transſubſtantiatur in corpus chriſti, vbi exprimitur miraculum tam ex parte termini a quo; quam ex parte termini ad quem: et ſunt duo diſtincta miracula. Vnum eſt, quod ſubſtantia panis deſinit eſſe ſine actione corrumpente: aliud, quod corpus chriſti incipit, ibi eſſe cum ſpeciebus remanentibus. Et iſto modo vtuntur doctores iſtis propoſitionibus: panis conuertitur in corpus chriſti: panis transmutatur in corpus chriſti, quia magis per eas explicatur ratio ſacramenti, et tamen nihil aliud per eas denotatur; niſi quod ibi fuit ſubſtantia panis prius, et poſtea deſinit, ibi eſſe virtute diuina ſine actiua corruptione creaturae, manentibus accidentibus. Alii ſtatuunt conuerſionem panis; num autem illa ſit formalis; an materialis, quam et ſubſtantialem dicunt, de eo ſuis ſententiis diſcrepant. PETR. LOMBARDVS * dictis nonnullis veterum doceri, exiſtimat, ſubſtantiam panis in corpus ac vini ſubſtantiam in ſanguinem conuerti, ac mox ſubiungit: *ſi autem quaeritur: qualis ſit illa conuerſio: an formalis; an ſubſtantialis; vel alterius generis? definire non ſufficio. Formalem tamen non eſſe, cognoſco, quia ſpecies rerum, quae ante fuerant, remanent, et ſapor et pondus. Quibusdam eſſe videtur ſubſtantialis, dicentibus, ſic ſubſtantiam conuerti in ſubſtantiam, vt haec eſſentialiter fiat illa, cui ſenſui praemiſſae auctoritates conſentire videntur.* Teſtatur quoque THOMAS AQVINAS, ** *quosdam poſuiſſe, quod facta conſe-*

* *lib.* IV. *diſtinct.* 10. et 11. ** III. *quaeſt.* 75. *artic.* 6.

conſecratione, non ſolum remaneant accidentia panis; ſed etiam forma ſubſtantialis eius; inſtituit autem, ſententiam hanc refutare eique varia opponere argumenta. ALBERTVS *magnus*, * quum itidem varias ſententias recenſeat, *dicendum videtur*, inquit, *quod ſubſtantia panis non annihilatur, et tamen nec in ſe manet; nec in aliquo ſui in chriſto. Hæc autem opinio videtur eſſe conſona verbis ſanctorum, vnde quamuis ſit minus intelligibilis; tamen eligenda mihi videtur propter ſanctos patres, quorum inſpirata reuelatio præiudicat argumentis, quæ poſſunt fieri contra hanc materiam.*

§. XII.

Quum ex opinione de transſubſtantiatione, veluti ex principio, ea ſequantur, quæ abſurda, impia atque in corpus ſanguinemque chriſti maxime ſunt iniurioſa, poſſe corpus chriſti in manus iudæorum ac Turcarum tradi, confodi, dilacerari: in ventres canum, murium atque aliorum animalium ingeri: per vomitum et ſeceſſum eiici: in ignem, quin ſterquilinia et latrinas coniici et quæ ſunt alia, in his quoque ſua ingenia doctores ſcholaſtici exercuerunt ac quomodo ſe ex hiſce difficultatibus, cum eorum dogmate de transſubſtantiatione coniunctis, expedire debeant, fere ignorarunt. ALEXANDER *Alenſis*, monachus Franciſcanus, quum transſubſtantiationem tanquam certam poneret atque exiſtimaret, ſub accidentibus panis non aliam; quam corporis chriſti ſubſtantiam eſſe hancque ſub iis tamdiu manere, quamdiu ipſa maneant ac ſpeciem panis referant; aut quamdiu manſura fuisſet ſubſtantia panis, niſi eſſet conuerſa, per conſequentiam profeſſus eſt, *ſi canis; vel porcus deglutiret hoſtiam conſecratam integram, ſe non videre, quare; vel quomodo corpus*

* in IV. *diſtinct.* 31. *artic.* 7. et 8.

corpus domini non ſimul cum ſpecie traiiceretur in ventrem canis; vel porci; addidit tamen: *corpus chriſti non intrat in os bruti, vt cibus corporalis, quia nullo modo eſt cibus corporalis; ſed ſolummodo ipſa ſpecies, quæ dicitur ſacramentum; ſed in ipſum os bruti corpus chriſti ſimul intrat cum ſpecie, ratione inſeparabilitatis vnius ab alio.** Eiusdem ſententiæ fuit THOMAS AQVINAS,** atque diſerte tradidit, *quod etiamſi mus; vel canis hoſtiam conſecratam manducet, ſubſtantia corporis chriſti non deſinat eſſe ſub ſpeciebus, quamdiu ſpecies illa maneat, hoc eſt, quamdiu ſubſtantia panis maneret, ſicut etiam, ſi proiiceretur in lutum;* vt autem ſimul remoueret, quæ obiici poſſent, hoc modo animal brutum vti ſacramento, adiecit: *nec tamen dicendum eſt, quod animal brutum ſacramentaliter corpus chriſti manducet, quia non eſt natum, vti eo ſacramento: vnde non ſacramentaliter; ſed per accidens corpus chriſti manducat, ſicut manducaret ille, qui ſumeret hoſtium conſecratam, neſciens, eam eſſe conſecratam,* quem et ſunt ſequuti RICHARDVS DE MEDIA VILLA, FRANCISCVS MATRONIVS, PETRVS PALVDANVS atque alii.

§. XIII.

Alii merito impias has ſententias reiecerunt. BONAVENTVRA *** huc ſpectat ac diſſenſum ſuum hac in cauſſa ſatis euidenter declarat: *quantumcunque,* inquit, *hæc opinio muniatur; nunquam tamen adeo munitur, quin aures piæ hoc abhorreant audire, quod in ventre muris; vel cloaca ſit corpus chriſti, quamdiu ſpecies ibi ſubſiſtunt.* item: *probabile eſt, quod ſumtione completa et manducatione,*

* *lib.* IV. *quæſt.* 45. *membr.* 1. *artic.* 1.

** *tert. quæſt.* LXXX. *art.* 3.

*** IV. *diſtinct.* 13. *artic.* 2. *quæſt.* 1. 2.

tione, quum iam ſacramentum habuit ſuum finem, propter quem erat, deſinat, eſſe ſacramentum. Ante eum alii idem ſenſerunt, INNOCENTIVS, tertius,* GVITMVNDVS,** ALGERVS,*** HVGO DE SANCTO VICTORE,* ipſe magiſter ſententiarum, PETRVS LOMBARDVS.** Inter hos, quem primo loco nominauimus, INNOCENTIVS tertius dicit: *ſi quæritur, quid a mure comeditur, quum ſacramentum corroditur; vel quid incineratur, quum ſacramentum crematur, reſpondetur, quod ſicut miraculoſe ſubſtantia panis conuertitur, quum corpus dominicum incipit, eſſe ſub ſacramento; ſic quodam modo miraculoſe reuertitur, quum ipſum ibi deſinit eſſe: non quod illa panis ſubſtantia reuertitur, quæ tranſiuit in carnem; ſed quod eius loco aliquid miraculoſe creatur, quamuis huius accidentia ſine ſubiecto poſſunt ſic corrodi; ſicut edi.* Ita quidem ſignificarunt, ſe abhorrere ab eiusmodi impiis concluſionibus, quod in ſe laudandum eſt; quum autem iſtæ omnino ex dogmate de transſubſtantiatione ſequantur, debuiſſent ex eo colligere, quam falſum ſit hoc principium; quod tamen tantum abfuit, vt facerent, vt ad defendendum illud alia abſurda admitterent. Ad quamcunque partem defenſores transſubſtantiationis ſe vertebant, in anguſtias coniectos ſe eſſe, videbant.

§. XIV.

Attamen inter ſcholaſticos doctores extiterunt, qui non tam materialem; quam formalem conuerſionem in euchariſtia defenderent atque exiſtimarent, materiam

* *de myſteriis miſſæ, lib.* IV. *cap.* II.

** ſub initium *libri* II. *de veritate corporis et ſanguinis domini in euchariſtia.*

*** *lib.* II. *cap.* I. *de corpore et ſanguine domini.*

* *de ſacram. lib.* I. *part.* I. *cap.* 13.

** *lib.* IV. *diſtinct.* 13.

riam panis et vini abſque ſuis formis permanere. Atqui hoc eſt, quod docet DVRANDVS: * *quid ergo dicendum*, inquit, *ad quæſtionem propoſitam de conuerſione ſubſtantiæ panis in corpus chriſti? ſaluo meliori iudicio, poteſt æſtimari, quod ſi in iſto ſacramento fiat conuerſio ſubſtantiæ panis in corpus chriſti, quod ipſa ſit per hoc, quod corrupta forma panis materia eius ſit ſub forma corporis chriſti, ſubito & virtute diuina, ſicut materia alimenti fit ſub forma nutriti virtute naturæ*, et alio loco: ** *ſatis durum eſt, et derogare videtur immenſitati diuinæ potentiæ, dicere, quod deus non poſſit facere, corpus ſuum eſſe in ſacramento per alium modum, quam per conuerſionem ſubſtantiæ panis in ipſum, maxime quum ponendo conuerſionem fieri, difficillimum ſit, videre, qualiter ipſa faciat aliquid ad hoc, quod corpus chriſti ſit in ſacramento.* Huic addimus GVIL. OCCAMVM. Obſeruat ille, mutationem, quæ in ſacra cœna fiat, quatuor modis poſſe definiri. Primus ſit, *quod remaneat ibi ſubſtantia, et quod corpus chriſti coexiſtat ſubſtantiæ illi, ita quod prima ſubſtantia ſit deferens accidens, ſecunda non; ſed tantum coexiſtens*, quem poſtquam vna cum reliquis tribus recenſuit, hæc ſubiungit: *primus modus poteſt teneri, quia non repugnat rationi; nec alicui auctoritati bibliæ, et eſt rationabilior et facilior ad tenendum inter omnes modos, quia pauciora inconuenientia ſequuntur ex eo; quam ex aliquo alio modo. Quod patet, quia inter omnia inconuenientia, quæ ponuntur, ſequi ex iſto ſacramento, maius eſt, quod accidens ſit ſine ſubiecto. Sed ponendo primum modum non oportet illud ponere*, *** ita tamen, vt ſimul auctoritati humanæ repugnare nolit, atque addat, quia eccleſia contrarium determinet

* IV. *ſentent. diſtinct.* II. *quæſt.* 9.

** *ibid. quæſt.* I.

*** in *lib.* IV. *quæſt.* 6. *art.* 2.

ac communiter omnes doctores ſtatuant, quod non remaneat ſubſtantia panis, ſe idem quoque amplecti. * Nec ab hac ſententia alienus fuit PETRVS DE ALLIACO: ** immo iſtam expreſſe profeſſus eſt ac iudicauit, reliquis eſſe præferendam: *tertia opinio fuit*, inquit, *quod ſubſtantia panis remanet. Quicquid tamen ſit de hoc, patet, quod ille modus ſit poſſibilis; nec repugnat rationi; nec auctoritati bibliæ: immo eſt facilior ad intelligendum et rationabilior, quam aliquis aliorum, qui ponit, quod ſubſtantia panis deſerat accidentia ſine ſubiecto, quod eſt vnum de difficilibus, quæ hic ponuntur.* ***

§. XV.

Quorum iam mentionem fecimus, DVRANDVS A SANCTO PORCIANO, GVILIELMVS OCCAMVS et PETRVS DE ALLIACO ſeculo XIV. vixerunt, quo vti dogma de transſubſtantiatione ſuos habuit defenſores; ita non defuerunt, qui veritatis, quam intelligebant, teſtimonia dicerent. Præter hos nunc memoratos, alii ſunt laudandi. Viam illis pararunt Waldenſes, quos repudiaſſe transſubſtantiationem ac docuiſſe, naturam et ſubſtantiam panis et vini in ſacra cœna minime mutari, confeſſiones eorum atque alia monimenta teſtantur. Hoc dicto ſeculo XIV. ſequuti fuerunt Wicleſitæ.

* conf. CAROLI DV PLESSIS D'ARGENTRE *collectionem iudiciorum de nouis erroribus* tom. 1. p. 266.

** IV. *quæſt.* 6. *art.* 2.

*** ſententias doctorum ſcholaſticorum diligenter enarrant GEORGIVS CALIXTVS *exercit. de transſubſtantiatione contra pontific.* §. XXVIII. ſqq. et PETRVS ALLIXIVS *præf. hiſtor. de dogmate transſubſtant.* præmiſſ. IOANNIS *Pariſienſ. determinat.* adde IO. GERHARDVM *in confeſſion. cathol.* p. 1141.

cleſitæ. IO. WICLEFVS apud GVIL. WODFORDVM,* qui contra eum ſcripſit, ſic loquitur: *manet panis et vini ſubſtantia poſt conſecrationem. Sacramentum altaris naturaliter eſt panis et vinum: ſacramentaliter corpus et ſanguis chriſti, quamquam alii fingunt, ipſum eſſe accidens ſine ſubſtantia adiecta. Fructus iſtius dementiæ eſt, blaſphemare in deum: ſcandalizare ſanctos per mendacium accidentis*, vti obſeruat IO. GERHARDVS.** Concilium Conſtantienſe, cuius et paullo poſt mentionem faciamus, quadraginta et quinque articulos ex ſcriptis WICLEFI excerptos damnauit, in quibus primus eſt: *ſubſtantia panis materialis et ſimiliter ſubſtantia vini manent in ſacramento altaris*; ſecundus: *accidentia panis non manent ſine ſubiecto in ſacramento altaris*, ac tertius: *chriſtus non eſt in eodem ſacramento identice et realiter in propria præſentia corporali*, ex quibus haud obſcure colligendum eſt, WICLEFVM a transſubſtantiatione fuiſſe alienum. Idem conſtat de IOANNE *Pariſienſi*, qui fuit ex ordine fratrum prædicatorum, doctor theologus facultatis Pariſienſis ac floruit ſub finem ſeculi XIII. et initium XIV.*** Scripſit *determinationem de modo exi-*

* theologiæ doctor Oxonienſis ſeculi XIV. ordinis Franciſcani monachus, cui a ſynodo Londinenſi data fuit prouincia, Wicleſum refutandi: vide LVCAM WADDINGVM in *ſcriptoribus ordinis minorum* p. 157. Extat eius *liber ad Thomam archiepiſcopum Cantuarienſem aduerſus articulos* XVIII. *ex Wicleſi trialogo excerptos et a ſynodo Londinenſi damnatos* in *faſciculo rerum expetendarum ac fugiendarum*, Colon. MDXXXV. p. 96. ſqq. Alia eiusdem ſcripta recenſet HENR. WHARTONVS in *appendice ad Cauei hiſtor. litterar. ſcript. eccleſ.* p. 54.

** in *confeſſion. cathol.* p. 1141.

*** Legantur de eo AMBROSIVS DE ALTAMVRA in

exiſtendi corpus chriſti in ſacramento altaris alio; quam ſit ille, quem tenet eccleſia, quam primus edidit PETR. ALLIXIVS ex manuſcripto codice ſancti Victoris Pariſ. ac præmiſit præfationem hiſtoricam de dogmate transſubſtantiationis, Lond. MDCLXXXVI. In *determinationis* huius principio monet auctor: *licet teneam et approbem illam ſolemnem opinionem, quod corpus chriſti eſt in ſacramento altaris per conuerſionem ſubſtantiæ panis in ipſum, et quod ibi maneant accidentia ſine ſubiecto; non tamen audeo dicere, quod hoc cadat ſub fide mea; ſed poteſt aliter ſaluari vera et realis exiſtentia chriſti in ſacramento altaris,* quibus dictis, obſeruat, ſi doceatur, quod ſubſtantia panis maneat ſub ſuis accidentibus in ſacramento altaris, poſſe hoc duplici modo intelligi: altero, quod ſubſtantia panis in ſacramento altaris ſub ſuis accidentibus maneat in proprio ſuppoſito; id quod tamen falſum eſſet, quia non eſſet communicatio idiomatum inter panem et corpus chriſti; nec vere diceretur, panem eſſe corpus chriſti: altero, quo ſubſtantia panis maneat ſub accidentibus ſuis, non in proprio ſuppoſito; ſed tracta ad eſſe et ſuppoſitum chriſti, ita vt hac ratione ſit vnum ſuppoſitum in duabus naturis. Id quod vt explicet, addit: *dico, quod panis in ſacramento altaris trahitur ad eſſe, vel ſuppoſitum verbi, non immediate; ſed mediante corporeitate,* ac diſtinguit inter *paneitatem* et *corporeitatem,* quæ inter ſe communia habeant ſua idiomata, vt dici poſſit, panem eſſe corpus chriſti ac chriſti corpus panem, ſi paneitas aſſumatur a ſuppoſito verbi, mediante corporeitate, non ea, quæ ſit totum

in *bibliotheca Dominic. ad ann.* MCCLXXVII. p. 46. IACOBVS QVETIF et IACOBVS ECHARDVS in *ſcriptor. ordin. prædicat. tom.* I. p. 500. ſqq. CASIMIRVS OVDINVS in *comment. de ſcriptorib. eccleſ. tom.* III. p. 634. ſqq.

totum; ſed tantum pars. Sententiam hanc non ſolum aliorum doctorum teſtimoniis confirmare; ſed etiam ab iis, quæ oppoſita ſunt, vindicare inſtituit ac per illam renouauit RVPERTI *Tuitienſis* opinionem, ſupra a nobis memoratam; quadam tamen diuerſitate. Non male ea per vocabulum *impanationis* * deſignatur. Subtiliter quidem ſatis atque obſcure eam tradidit; id tamen clare patet, quod exiſtimauerit, ſubſtantiam panis in euchariſtia manere; nec in chriſti corpus conuerti; ** quam-

* vide IO. GVILIELM. BAIERI *diſſert. de impanatione et conſubſtantiatione pontificiorum et reformatorum quorundam adcuſation. oppoſitam.*

** NATALIS ALEXANDER in *hiſtor. eccleſ. noui teſtament. ſec.* XIII. et XIV. p. 149. IAC. QVETIF et IAC. ECHARDVS in *ſcriptoribus ordinis prædicat. tom.* I. p. 502. atque alii pontificii putant, IOANNEM *Pariſienſem* doctrinæ de transſubſtantiatione addictum fuiſſe, quoniam ipſemet fateatur, *ſe tenere atque adprobare opinionem, quod corpus chriſti ſit in ſacramento altaris per conuerſionem ſubſtantiæ panis in ipſum et quod ibi maneant accidentia ſine ſubiecto*, hincque eum hæreſeos abſoluunt; alii autem agnoſcunt eum a transſubſtantiatione alienum, eique errorem, quo ſe in doctrina de ſacra cœna implicuerit, adtribuunt: vide CAROLVM DV PLESSIS D'ARGENTRE in *collectione iudiciorum de nouis erroribus*, *tom.* I. p. 264. ſq. Nec ſine cauſſa. Fatetur quidem, ſe vulgarem ſententiam de transſubſtantiatione tenere; attamen alteram ei oppoſitam non ſolum tradit; verum etiam defendit. Propterea et ab aliis confutatus et aduerſa expertus eſt, prout obſeruauimus. Præter laudatos auctores de ipſa illius opinione legendi ſunt IOANNES BACONVS in *lib.* IV. *ſentent. diſt.* 8. *quæſt.* 5. *artic.* I. GABRIEL GERBERON in *apolog. pro Ruperto Tuitienſi*, *part.* II. p. 337. MATTHAEVS LARROQVIVS in *hiſtoire de l'euchariſtie*, *part.* II. p. 745. ſqq. vt de aliis taceamus.

quamuis Innocentius III. in concilio Lateranenſi dogma de transſubſtantiatione inter articulos fidei retuliſſet. Hinc et fuerunt, qui vehementer ei contradicerent atque efficerent, vt munere docendi priuaretur, propter quam cauſſam quum romam proficiſceretur, ibi deceſſit. *

§. XVI.

Seculo XV. pontificii haud quidquam neglexerunt, quod ad dogma de transſubſtantiatione ſtabiliendum ac propagandum ſpectare, exiſtimabant. Poſt initium illius ſynodus Conſtantienſis celebrata, atque in ea mutatio ſubſtantialis in ſacra cœna confirmata fuit, dum patres illius articulos ex WICLEFI libris collectos atque in his eos quoque, qui transſubſtantiationi repugnabant, ſeſſione octaua, d. IV. mai. MCCCCXV. habita, damnarunt, vt antea obſeruauimus. Illi articuli iam ante hoc concilium Conſtantienſe ex WICLEFI libris erant excerpti, ac quum in Bohemia viderentur tradi ac propagari, non ſolum Pragæ; ſed etiam in aliis academiis et in ipſo romano concilio anno MCCCCXII. condemnati. Aegre id tulit IOHVS atque ab aduerſariis WICLEFI poſtulauit, vt cuiuscunque articuli condemnati rationem redderent: quo factum eſt, vt cauſſa hæc ad concilium Conſtantienſe deferretur, ac cardinales, epiſcopi atque alii doctores iuberentur, examen illorum articulorum inſtituere. Compoſuerunt igitur ſcripta nunc longiora, nunc breuiora atque in illis magno ſtudio adornarunt cenſuras, refutationes, improbationes, condemnationes

nes

* vide *continuat. chronici* GVILLELMI DE NANGIS apud LVC. DACHERIVM in *ſpicileg. tom.* III. p. 58. et BVLAEVM in *hiſtor. vniuerſ. Pariſienſ. tom.* IV. p. 69.

Digitized by Google

nes iſtorum articulorum. Exhibet ea HERMANNVS VON DER HARDT.* Ex interuallo ſequuta eſt ſynodus Florentina, anno M CCCC XXXIX. atque in ea cum græcis transactum fuit de proceſſione ſpiritus ſancti, de purgatorio et primatu romani pontificis; ceteris bene multis, atque inter alia diſſenſionibus de euchariſtia in medio relictis. Pontifex Eugenius IV. quidem præſcribit in inſtructione Armeniis data, *formam huius ſacramenti eſſe verba ſaluatoris. Nam ipſorum*, inquit, *verborum virtute ſubſtantia panis in corpus chriſti, et ſubſtantia vini in ſanguinem conuertuntur; ita tamen, quod totus chriſtus continetur ſub ſpecie panis, et totus ſub ſpecie vini: ſub qualibet quoque parte hoſtiæ conſecratæ et vini conſecrati, ſeparatione facta, totus eſt chriſtus;* ſed hæc non ex conſenſu partium ſcripſit. Inſtructio enim data eſt anno M CCCC XXXIX. menſe decembr. græci vero vna cum Armeniis menſe iul. concilio iam tum finito, abierant. Nec eſt, quod credamus, pontificem hoc præſcribendo, ſperaſſe, fore, vt Armenii magis; quam græci, iſta omnia, de quibus alias acriter diſceptatum eſſet, admittant, quod non ſine cauſſa GEORGIVS CALIXTVS ** obſeruat.

§. XVII.

Quum iam græcorum mentionem fecimus, videndum quoque eſt, quid in ipſorum eccleſia de transſub-

E ſtan-

* in *magno oecumenic. Conſtantienſ. concil. tom.* III. *part.* 12. p. 168. ſqq. et *tom.* IV. p. 150. ſqq. adde IAC. LENFANT in *hiſtoire du concile de Conſtance lib.* II. p. 145. ſqq. et CHRISTIANVM KORTHOLTVM in *hiſtor. eccleſ. noui teſtament*, p. 584. ſqq.

** in *exercitat. de transſubſt. contra pontific.* §. XLIX.

ſtantiatione ſtatuatur. Veteres eius doctores conuerſionem ſubſtantialem ignoraſſe, ſupra oſtendimus ſimulque obſeruauimus, quod quamuis nonnunquam voces *μεταβολὴ, μεταμόρφωσις, μεταστοιχείωσις* ſimilesque vſurpent; per eas tamen minime mutationem ſubſtantiæ intelligant. Idem dicendum eſt de recentioribus græcis, qui maiorum ſuorum veſtigia ſequuti, memoratis vocabulis ita ſunt vſi, vt nihil minus; quam commutationem ſubſtantialem ſignificarent. Sic METROPHANES CRITOPVLVS* vocem *μεταβολὴ* adhibet atque indicat, fieri in ſacra cœna mutationem quandam; quod autem, illam eſſe ſubſtantialem, crediderit, minime innuit. Verba eius ſunt: *ἔστι γὰρ ὡς ἀληθῶς σῶμα χριστοῦ ὁ ἱερουργούμενος ἄρτος, καὶ τὸ ἐν τῷ ποτηρίῳ αἷμα χριστοῦ ἀναμφιβόλως. ὁ δὲ τρόπος τῆς τοιαύτης μεταβολῆς ἄγνωστος ἡμῖν καὶ ἀνερμήνευτος, eſt quippe panis benedictus reuera corpus chriſti, et quod in calice eſt, indubitate chriſti ſanguis. Modus autem iſtius mutationis incognitus nobis eſt atque ineffabilis:* cuiusmodi etiam ex IEREMIAE, patriarchæ Conſtantinopolitani, *reſponſione ad theologos Tubingenſes*** patet. Sed tamen romanenſium artibus effectum fuit, vt plurimi græcorum a maiorum ſuorum placitis diſcederent. Vocabulum enim *μετουσίωσις*, quod proprie *transſubſtantiationem* denotat, apud græcos introductum fuit, quo primus, vti traditur, GABRIEL SEVERVS,*** epiſcopus Philadelphienſis, vſus eſt. Recepta hac voce, id porro pontificii egerunt, vt ipſam rem; ſiue commentum transſubſtantiationis græcorum

* in *confeſſion. cap.* IX. p. 100.

** in *actis et ſcriptis theolog. Wirtemberg. et patriarch. Ieremia* p. 86.

*** *opuſcula* eius græce cum verſione et obſeruationibus edidit RICHARD. SIMONIVS Pariſ. MDCLXXI.

corum animis commendarent; nec proſperiori ſtudiorum ſuorum ſucceſſu fuerunt deſtituti, inprimis quum odium erga CYRILLVM LVCAREM accederet. Hunc ea adprobare, quæ in reformatorum ſcholis docentur, intelligebant pontificii, et quoniam hac de re magnum odium græcorum ſibi conflauerat, operas ſuas ad Lucarem penitus opprimendum adhibebant, eum in finem, vt in eius locum ſuccederet, qui a placitis romanæ eccleſiæ non eſſet alienus. Res feliciter ipſis ſucceſſit. Doctrina Cyrilli Lucaris in variis ſynodis damnata: vox *μετουσίωσις* multum commendata: fidei confeſſio compoſita atque ab omni eccleſia græca adprobata fuit. In hac non ſolum iam dictum vocabulum vſurpatum; ſed etiam ipſa doctrina de transſubſtantiatione recepta atque ex mente pontificiorum tradita eſt. Dicitur enim in illa: * *πρέπει νὰ ἔχῃ ὁ ἱερεὺς τοιαύτην γνώμην εἰς τὸν καιρὸν, ὁποῦ ἁγιάζει τὰ δῶρα, πῶς αὐτὴ ἡ οὐσία τοῦ ἄρτου καὶ ἡ οὐσία τοῦ οἴνου μεταβάλλεται εἰς τὴν οὐσίαν τοῦ ἀληθινοῦ σώματος καὶ αἵματος τοῦ χριστοῦ, eo temporis articulo, quo ſacra munera conſecrat, ſacerdos ita omnino ſecum ſtatuere debet, quod ſubſtantia ipſa panis et vini in ſubſtantiam veri corporis et ſanguinis chriſti immutetur*, ac paullo poſt: *μετὰ τὰ ῥήματα ταῦτα ἡ μετουσίωσις παρευθὺς γίνεται, καὶ ἀλλάσσει ὁ ἄρτος εἰς τὸ ἀληθινὸν σῶμα τοῦ χριστοῦ, καὶ ὁ οἶνος εἰς τὸ ἀληθινὸν αἷμα. ἀπομένονται μόνον τὰ εἴδη, ὁποῦ φαίνονται, καὶ τοῦτο κατὰ τὴν θείαν οἰκονομίαν, pronuntiatis hiſce verbis, confeſtim transſubſtantiatio peragitur mutaturque panis in verum corpus chriſti: vinum in verum eiusdem ſanguinem, manentibus tantummodo per diuinam diſpo-*

* vid. *orthodox. confeſſionem catholic. atque apoſtolic. eccleſiæ orientalis*, quam cum verſione latina LAVRENT. NORMANNVS edidit, *part.* I. *quaeſt.* 107. p. 166.

diſpoſitionem ſpeciebus, quæ viſu percipiuntur. Quis non videat, heic græcos in doctrina de conuerſione ſubſtantiali cum romanenſibus conſentire ac veritatem a maioribus eorum traditam deſerere? *

§. XVIII.

Seculo XVI. a beato Luthero emendatio ſactorum ſuſcepta atque præter alios romanæ eccleſiæ errores commen-

* Pontificii mirum in modum de conſenſu hoc gloriantur: immo aliis perſuadere, ſibi ſumunt, omni tempore ab eccleſia orientali, ſpeciatim græca dogma de transſubſtantiatione fuiſſe admiſſum. Multa hac de re ſunt diſputata, inprimis inter THOMAM SMITHVM et RICHARDVM SIMONIVM. Quum enim ille *epiſtolam de græca eccleſia hodierno ſtatu* ederet atque in iſta varia contra pontificios moneret, præcipue quod inter græcos GABRIEL SEVERVS primus mutationem ſubſtantialem in ſacra cœna tradiderit, oppoſuit ei ſe RICHARDVS SIMONIVS in *hiſtoire critique de la creance et des coutûmes des nations du Leuant*, MDCLXXXIV. ſed SMITHVS egit cauſſam ſuam in *defenſione libri de græca eccleſia ſtatu contra obiectiones auctoris hiſtoriæ criticæ ſuper fide et ritibus oriental.* quæ in eiusdem *miſcellaneis*, Lond. MDCLXXXVI. editis exſtat, quumque SIMONIVS in lucem emitteret: *la creance de l'egliſe orientale ſur la transſubſtantiation auec une reponſe aux nouvelles obiections de Mr. Smith*, Pariſ. MDCLXXXVII. iterum reſpondit in aliis *miſcellaneis*, Lond. MDCXC. ſimulque iuris publici fecit *collectanea de Cyrillo Lucario*, Lond. MDCCVII. adde FRIDERICVM SPANHEMIVM *diſſert. de eccleſia græc. et orientalis a roman. et papal. in hunc diem perpetua diſſenſione, tom.* II. *oper.* p. 538. ſqq. et IO. MICHAELEM HEINECCIVM in *der Abbildung der alten und neuen griechiſchen Kirche, part.* II. p. 278. ſqq.

commentum quoque transſubſtantiationis cum omni ſuperſtitionis, quæ ex iſta fluit, adparatu reiectum fuit. Ante confeſſionem Auguſtanam exhibitam LVTHERVS in variis ſcriptis * errorem hunc pontificiorum conſtanti animo profligauit. Poſtea idem factum eſt in libris eccleſiæ noſtræ ſymbolicis. In exemplo Auguſtanæ confeſſionis germanico, quod imperatori Carolo V. traditum eſt, extant ** hæc verba: *vnter der Geſtalt* *** *des Brods vnd Weins*, quæ in exemplo latino quidem ſunt omiſſa, quoniam in eo ſimpliciter dicitur: *corpus et ſanguis chriſti vere adſunt;* minime tamen præſentiam panis et vini negari, ex eo patet,

* anno MDXX. in libro *de captiuitate Babylonica:* anno MDXXII. in *tract. de abuſibus miſſæ:* eodem anno in *reſponſione ad regem Angliæ;* anno MDXXIV. autem in *libro contra cæleſtes prophetas* et anno MDXXVIII. in *confeſſion. maior.*

** *part.* I. *artic.* 10.

*** reformati nonnulli monent, quod vocabulum *Geſtalt* non ipſam rem eiusque ſubſtantiam; ſed externum quoddam illius accidens ſignificet atque ex eo colligunt, Auguſtanam confeſſionem dogma in *der ausführlichen hiſtoria motuum, part.* I. *cap.* 7. p. 177. ſed vnde velint probare, quod vocabulum *ſpecies;* ſiue *Geſtalt* tantum externum quoddam accidens; nec ſimul naturam rei: ipſam rem ſignificet? maiores autem noſtros id in Auguſtana confeſſione vſurpaſſe de natura: de ſubſtantia rei, patet non ſolum ex eo, quoniam in exemplo latino verba iſta de ſpecie panis et vini neglexerint, id quod haud potuiſſet fieri, ſi mutationem quandam ſubſtantiæ voluiſſent ad-

Digitized by Google

quia in ſacra cœna corpus et ſanguis chriſti ſine pane et vino haud diſtribuuntur. Igitur ſi maiores noſtri latine ſunt profeſſi, adeſſe in cœna domini corpus et ſanguinem chriſti, re ipſa quoque, quod in germanico exemplo expreſſis verbis legitur, declararunt. Luculenter id monſtrat *apologia*, quæ genuinam ac ſolidam confeſſionis explicationem in ſe continet. Ibi enim dicitur, * quod *in cœna domini vere et ſubſtantialiter adſint corpus et ſanguis chriſti et vere exhibeantur cum illis rebus, quæ videntur, pane et vino, his, qui ſacramentum accipiunt.* Nec eſt, quod obiiciant pontificii, in hac *apologia* a PHILIPPO MELANCHTHONE eiusmodi teſtimonia adducta eſſe, canonem quippe miſſæ apud græcos ac locum quendam THEOPHTLACTI, quæ transſubſtantiationi faueant. Sane ibi non ſermo eſt de conuerſione ſubſtantiæ. In *formula concordiæ* ** exhibentur ipſa verba confeſſionis germanicæ, atque indicatur, doceri ibi, verum corpus et ſanguinem chriſti vere ſub ſpecie panis et vini in ſacra cœna eſſe præſentia. Quæ quum ita ſint, facile reſponderi poteſt ad ea, quæ IACOBVS BENIGNVS BOSSVETVS *** hac in cauſſa nobis obiicit.

§. XIX.

Eodem ſeculo concilium Tridentinum habitum et in eo dogma de transſubſtantiatione confirmatum quidem fuit, vt ſupra obſeruauimus ac quæ huc ſpectant, decreta recenſuimus; attamen non defuerunt inter ipſos pontificios veritatis teſtes. * Eccleſiæ romanæ

* *articul.* IV. p. 157.

** *ſolid. declarat. artic.* VII. p. 728.

*** in *hiſtoire des variations des egliſes proteſtant. tom.* I. *lib.* 3. p. 90. ſqq.

* vide IO. GERHARDVM in *confeſſion. cathol.* p. 1140. ſq.

manæ cardinalis IACOB. PERRONIVS traditur, quod transſubſtantiationem, quam cum aliis pontificiorum erroribus antea eum acriter defendiſſe, conſtat, monſtrum declarauerit. * Poſtea inter romanenſes, inprimis PETRVM NICOLIVM, ANTONIVM ARNALDVM atque alios, ac reformatæ eccleſiæ doctores, IO. CLAVDIVM, IACOBVM BASNAGIVM ac reliquos de *fidei perpetuitate* in hocce articulo multa ſunt diſputata, quum vtrique dogma ſuum de ſacra cœna ex patrum ſcriptis corroborare vellent, quam controuerſiam non eſt, quod nunc enarremus. **

NOBI-

* vid. DANIEL. MAICHELII *lucubrationes Lambetan.* p. 1. ſqq.

** Si quis iſtam intelligere ac notitiam ſcriptorum, quæ ab vtraque parte edita ſunt, ſibi IOAN. ALBERTVM FABRICIVM in *biblioth. græc. vol.* X. p. 444. et 448. FRIDERICVM SPANHEMIVM in *operib. tom.* III. p. 1044. inprimis CHRISTOPHORVM MATTH.

NOBILISSIMO AC DOCTISSIMO

ERNESTO THEOPHILO ZIEGENBALGIO

S. P. D.

IO. GEORGIVS WALCHIVS.

DVOBVS abhinc annis veniſti huc, et a me, eo tempore academiae Prorectore, in tabulas ciuium noſtrorum relatus es. Quum nomen tuum audirem atque intelligerem, te eſſe filium BARTHOLOMAEI ZIEGENBALGII, cuius memoria per ſtudia maxime pia ac plane ſingularia, quae ad euangelium gentibus a vera dei cognitione alienis praedicandum contulit, immortalitati conſecrata eſt, fateor, animum meum percepiſſe laetitiam. Eſt enim ille, qui a glorioſiſſimo Daniae rege FRIDERICO IV. anno MDCCV. vna

cum

Digitized by Google

cum HENRICO PLVTSCHOVIO Tranquebariam ablegatus, miſſionarii prouinciam ſuſcepit: qui grauiſſimo huic muneri, a ſeculi huius rebus alienus, omni pietate, religione, ſtudio ac prudentia ſatisfecit: qui de rectis ac genuinis remediis inter Indos orientales propagandæ religionis chriſtianæ ſollicitus, in eo præcipue operas ſuas collocauit, vt codicem ſacrum in linguam Damulicam; ſiue Malabaricam, cuius exſtitit peritiſſimus, transferret: qui per gratiam cæleſtem partes ſuas feliciter impleuit, atque adnuntiando verbum diuinum effecit, vt multi inter has gentes ex tenebris ad euangelii lucem peruenirent. Propter hæc merita illum maxime ſemper colui, teque, vnicum eius filium, non potui non ſingulari complecti amore, atque omnia curare, quæ tibi ac litteris tuis in hac academia eſſent ſalutaria. Diligenter commendaui tibi exemplum vir-

Digitized by Google

hiberes induſtriam, cuiusmodi adhortationes ac præcepta te haud neglexiſſe, profiteor. Scholas meas, in quibus litteras ſanctiores tradidi, ita frequentaſti, vt laudabilia ſtudia tua proficiendi viderim, ſimulque præclarum ingenium tuum ac rectos mores mihi probaſti. Iam publicum induſtriæ, quam ad diuiniorem doctrinam contuliſti, ſpecimen non ſine plauſu monſtras. De eo tibi gratulor ac precor deum, velit per ſuam gratiam efficere, vt ſemper omni corporis atque animi felicitate fruaris ac de proſperiori rerum tuarum ſucceſſu lætari poſſis. Ienæ d. IX. octobr.

M DCC XXXVIII.

Inge-

Digitized by Google

INgenii ſpecimen monſtras, mentisque ſubactæ,
Spemque facis fœtus porro videre nouos.
Et tua virtutis clare qui lumina vidi,
Culmina fortunæ præcino magna tuæ.
De ſtudiis fauſto poſitis conamine grator
Tam tibi, quam patriæ, præcipueque tuis.
Indue virtutes, illuſtria nomina, patris,
Et mentis, proaui queis micuere, bona.
Quæ tibi ſi ſolido placeat connectere nexu
Fauſtus eris, dulci vinctus amore Dei.

In honorem et amorem clariſſimi Reſpondentis
appoſuit
M. CHRISTIERNVS BORRICHIVS,
OPPONENS.

Hvad Leſning duer til, kand diſſe blade ſiige,
Som klarlig viiſer os een landsmand uden liige,
Som klarlig vidner om, hvad den kand bringe hiem,
Der ſiine ſtudia med fliid vill ſette frem.

Johann Otthe Bang.

SIc tibi, proles celebris parentis
Viniſer fructus quoque præbet annus
Sedulæ curæ, tua quæ momordit
Pectora vero
Omnibus porro ſtudiis honeſtis
Magnus adſpiret Deus, atque faxit,
Sis, patrem ſectans, patriæ iuuentæ.
Gloria noſtræ.

Hæc vir[illegible]no. fautori atque amico ſuo æſtumatiſſimo

Digitized by Google

Corpus et ingenii vires ſeruare memento,
Illinc vt creſcat gloria ſumma Dei

MARCVS HEERFORDT PEKEL,
Medic. Stud.

Gratulor ex animo tibi de virtute, bonisque
Ingenii, clare quod documenta docent.

IACOBVS CRVSE.

Heut zeigſt Du, Werther Freund', von Deinem Fleiß die Proben,
Drum bleibt Dir auch der Crantz gewißlich aufgehoben.

Georg Theodor Müller,
SS. Th. C.

VA1 1529457

Digitized by Google